



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Theologiæ Moralis

Moure, Antonio Fernandes de

Coloniæ Agrippinæ

Capvt V. De cura in seruando Sigillo Confeßionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40934

confessione, quam faciet, absoluetur indirectè, & à peccatis antea confessis, quorum putat bona fide recaspisse se absolutionem. Quando autem pœnitens propterea fieret in extrema necessitate, puto confessarium obligatum iri etiam cum proprio aliquo dedecore & incommodo, cui præferenda esset salus animæ pœnitentis; sed si nulla ratione eum posset reuocare.

Dico secundo. Quando fuit tantum cum peccato, regulariter ad nihil aliud tenetur, præterquam ad dolorem de peccato facto: quando autem esset eiusmodi defectus coniunctus cum damno, vel præiudicio tertij, vt quia pœnitens retinebat alienum, tunc teneretur Sacerdos eum reuocare, & admonere, quando positiuè contrarium dixisset, nempe eum non teneri ad restitutionem: quando autem tantum tacuisset, non teneretur. Hæc de quarta conditione.

CAPVT V.

De cura in seruando Sigillo Confessionis.

QUO AD quintam, de cura in seruando sigillo, quatuor præcipuè de eo cognoscenda sunt. *Primam*, ex qua confessione oriatur obligatio sigilli, & Dico oriri ex confessione Sacramentali perfecta vel inchoata, facta sacerdoti vero, vel ita existimato. Dixi, *Sacramentalis*; quia ex illa, quæ fieret laico scienter, vel sacerdoti, etiam si ex deuotione, vel humilitate, vt in periculo mortis, non oriretur hæc obligatio. Item ex ea quæ fieret Sacerdoti quidem, sed non animo se accusandi, sed potius animo decipiendi, vel inducendi peccatum, vt ad coniurationem, &c. non oriretur hæc obligatio. Dixi, *perfecta*, vel *inchoata*; quia ex hac etiam oriretur obligatio: talis esset ea quæ fieret Sacerdoti, qui deinde dignoscitur non habere iurisdictionem, vel non animo recipiendi absolutionem, sed tantum se accusandi in illo foro, & satisfaciendi præcepto. Item ea quæ fit superiori, à quo per se vel per

confessa-

confessarium petit pœnitens absolutionem à casu reser-
uato, & alijs huiusmodi. Dixi, *Sacerdoti* vero, vel ita exi-
stimato: ad includendam eam confessionem, quæ fieret
Sacerdoti qui fingeret se sacerdotem, cum tamen reuera
non esset; verum hoc est dictum probabiliter: ex senten-
tia enim aliquorum orietur eadem obligatio; ex aliorum
sententia non esset eadem, quia non adest verum Sacra-
mentum in ea confessione.

Secundò cognoscendum est, quænam sit materia sigilli, &

Dico esse quinque. *Primò* peccata omnia mortalia, & ve-
nialia in confessione audita. *Secundò*, omnes circumstan-
tias, & obiecta peccatorum; integrant enim hæc ipsum
peccatum. *Tertiò*, alia omnia, quæ dicuntur ad declarandū
peccatum, vel circumstantias ipsius. *Quartò*, ipsa peccata
publica, quatenus in confessione audita sunt, dicuntur ma-
teria sigilli: semper enim fieret iniuria Sacramento, quod
redderetur onerosum, quamuis fortè non fieret pœniten-
ti. *Quinto*, hæc omnia intelligenda sunt esse materiam si-
gilli, sed relata ad personam, & peccatorem; ita ut debeant
seruari sub sigillo, ne detegatur persona, & peccator: alio-
quin ipsa peccata per se referri possunt, modò fiat cum
prudencia, ne quoquo pacto possit agnosci pœnitens.

Ex his sequitur non pertinere ad sigillum dicere, talem
sibi esse confessum, vel habere peccata venialia in genere,
non exprimendo aliquod in particulari.

Tertiò, cognoscendum est, quæ personæ obligentur ad
hoc sigillum

Respondeo obligari quinque personas. *Primò* est confes-
sarius, ad quem reduco superiorem, quando ab eo petitur
licentia casus reseruati. *Secundò*, interpres (vel nuncius, si
fieri possit in absentia) de quo licet sint opiniones, tamen
probabilius est teneri, quia participat suo modo actum
clauium. *Tertiò*, consiliarius, quem de licentia pœnitentis
consultit confessarius, vel præsentem, vel post confessio-
nem. *Quartò*, est is qui furtiue audit confessionē alterius,
vel etiam casu, tenetur etiam sub eadem obligatione.
Quintò est is, cui confessor sacrilegus reuelauit peccatum
alterius auditum in confessione: tenetur enim etiam is sub
eodem sigillo. Vnde est regula generalis: *Omnis notitia
habita ex confessione, siue mediata, siue immediata, transit ad*

quem-

quemcunque sub eodem onere, & manet sub sigillo. Cuius
pœnitente autem ipso non potest confessarius loqui, nisi
de eius licentia.

Quartò, qua ratione seruandum sit huiusmodi sigil-
lum?

Respondeo, esse seruandum *Primò* tam directè quàm
indirectè: Vnde non potest confessarius dicere se tabam
non absoluisse; dicat, Non perfecti officium meum.
Item non laudet aliquem ex multis. *Secundo*, est seru-
dum tam verbis, quàm signis aut factis. Vnde Episcopus,
vel Sacerdos non potest publicè negare Eucharistiam, vel
matrimonium ex scientia habita solum in confessione.
Item Sacerdos qui nouit aliquem excommunicatum ex
confessione, non potest illi negare Eucharistiam, nec et-
iam priuatim. Potest quidem sub aliquo prætextu: sed si
aliter effugere non possit, quàm significando notitiam ex
confessione, potius debet illi conferre Sacramentum,
quàm non seruare sigillum. *Tertio*, est seruandum in ordi-
ne ad quamcunque interrogationem, quæ fieri possit, sine
extra iudicium, siue in iudicio, siue cum iuramento di-
cendi quæ sciuerit, siue non: nulla enim potest esse iniu-
dica, & consequenter semper potest Sacerdos aquiuoca-
re, & respondere iuxta mentem interrogantis, atque hæc
satis de conditionibus in confessione requisitis.

INTERROGATORIUM

Pro confessionibus longioris
temporis.

PRIMÒ interroget tria. I. Tempus vltimæ
confessionis; & an impleuerit pœnitentiam? II.
Statum pœnitentis, an coniugatus vel solutus,
mercator, miles, officialis, &c. III. Dispositio-
nem, an paratus veniat? Cætera in progressu con-
fessionis.

DEIN.